

sit spatium. Tum sacculus in aheni cupreo, stanno obducto et aquâ repleto, ita suspenditur, ut aheni parietes nusquam attingat. Coquitur deinde aqua per quattuordecim horas continuas, aheni aquâ semper repleto; quo facto massa globosa e sacco in patinam excutitur, et stratum ejus exterius, lubricum, cultri ope amovetur. Massa vero interior, modico calore siccata, conteritur et in vase clauso servatur.

FERRUM PULVERATUM.

Ferrum cusum, limando comminutum, in mortario ferreo in pulverem subtilissimum teritur, qui per linteum tenerrimum, ut ad Bolum præparatam præceptum est, a pulvere grandiori separatur.

Servatur in vase bene clauso.

FLAVEDO AURANTII.

Aurantii cortices in aquam fervidam immerguntur, donec mollescant; tum cultri ope ab albedine liberantur et, leni calore siccati, servantur.

FLAVEDO CITRI.

E *Citri corticibus*, ut Flavedo Aurantii, paranda est.

GELATINÆ.

Ad usum parantur.

GELATINA CARAGHEEN.

Gelatina Fuci crispi.

Rec. *Lichenis Caragheen* concisi drachmas tres, p. 3.
Aquæ destillatæ tantum,

ut, coquendo per horæ quadrantem, fiat colatura, quæ, solutâ in eadem

Sacchari albi pulverati unciâ dimidiâ, p. 4.
pondus habeat unciarum sex (p. 48). Refrigerando fit gelatina.

GELATINA CORNUS CERVI.

Rec. *Cornus Cervi* rasi, aquâ aliquoties eloti,
uncias quinque, p. 80.

Aquæ destillatæ libras tres et dimidiam p. 672.

Modico igne coquuntur in vase tecto per septem vel octo horas. Liquor colatus, additis et permixtis

Albumine Ovi unius,

Succi Citri drachmâ sesquialterâ, . . . p. 3.

Sacchari albi pulverati unciâ sesquialtera, p. 24.

Vini rhenani unciis tribus, p. 48.
ter inter agitandum ebullit et, etiamnunc calens, per pannum laneum colatur. Refrigerando fit gelatina.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI.

Rec. *Lichenis islandici præparati* uncias duas, p. 1.

Aquæ destillatæ sufficientem quantitatem.

Quibus per horæ quadrantem coctis, fit per linteum fortiter exprimendo colatura libræ unius (p. 6), quæ loco frigido, ut fiat gelatina, seponitur.

GLOBULI MARTIALES.

Tartarus martialis. Tartras kalicoferricum.

Rec. *Ferri Limaturæ* uncias novem, p. 3.

Tartari depurati pulverati libras duas, p. 8.

Aquæ destillatæ libras viginti quattuor p. 96.

In vase ferreo coquuntur, agitando cum spathula ferrea, quamdiu Gas Hydrogenii evolvetur; tum liquor una cum sale albicante, relicto ferro forte intacto, defunditur et in balneo vaporis eo usque vaporando comminuitur, ut exinde formari possint globuli uncix unius.

HÆMATITES PRÆPARATUS.

Præparatur *Hæmatites*, ut *Bolus præparata*.

HYDRARGYRUM CUM CRETA.

Rec. *Hydrargyri destillati* drachmas sex, . p. 3.

Cretæ præparatæ drachmas decem . . p. 5.

Assidue conteruntur, donec *Hydrargyri* globuli oculo armato non amplius conspiciantur.

HYDRARGYRUM DESTILLATUM.

Rec. *Hydrargyri* libras duas.

Immittuntur retortæ vitreæ firmæ, longo collo instructæ atque satis capaci, ita ut dimidia ejus pars vacua supersit; collum retortæ inseritur excipulo, tantâ aquæ copiâ replendo, ut superficiem aquæ fere adtingat. Retortâ deinde balneo arenæ impositâ atque strato arenæ tectâ, ignis caute intenditur, ut lente ferveat *Hydrargyrum*; et sic pergendum, dum uncix viginti *hydrargyri* transierint, quæ, ab aqua separatæ et siccata, per cucullum chartaceum perfunduntur et in vitro obturato servantur.

Quod si deest retorta, longo collo instructa, collum retortæ communis tubo chartaceo longius reddendum est.
